



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Iudæi Sabbata non observarunt meropede.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

286 De CALCEIS HEBRÆOR.

cujus *γυμνοποδία*, perstringit Juvenalis. Erravit tamen Juvenalis, cum Judæos dicit sua Sabbathamero, hoc est nudo, *pede observasse*. Nemo enim putet hoc unquam à Judæis factum. Est enim, & semper fuit ab eorum moribus alienissimum. Quantopere à *γυμνοποδία* absit Sabbathi superstitiosa observatio videre est in Synagoga Judaica magni Buxtorfii, cum Judæi potius quam ut incedant nudipedes omnibus vestibus sabbatinis se induerent, ut Sabbathum vel vestium luxu honorent. Sed erroris hujus origo facile indagari potest. Apud Judæos olim fuerunt varii jejuniorum dies. Præter diem expiationis, qui singulis annis ex lege Mosis jejunio celebrabatur, quatuor publica jejunia singulis annis indici solita, ex Zachariæ vaticiniis colligi potest. *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi mensis erit domui Judæ, in gaudium & lætitiâ, & in solemnitates præclare.* Ex quo loco etiamnum Judæi quatuor jejunia publica & solemnia propter calamitates & affliccio-

Buxt. Syn.
Jud. cap.
15. 16.

Zach. 8. 19.

LIBER SECUNDUS. 287

afflictiones, quæ illis diebus olim patribus ipsorum contigerunt, celebrare solent. Videri de his potest Synagoga Judaica magni Buxtorfii, qui de singulis agit prolixè. Sed præter ea jejunia, quæ singulis annis stato tempore recurrebant, alia adhuc sæpe pro re nata indicebantur. Iis temporibus quibus solemniter jejunabant, nudis pedibus incedebant Judæi. Cum vero Juvenalis accepisset, nudo pede ad Flori tribunal accessisse Berenicen, & in usu Judæis esset ut jejunii tempore incederent nudipedes, errore sui ævi, sabbatha ab ipsis regibus mero pede, id est nudo, observari cecinit. Scilicet cum Judæi non ipsis Sabbathis, hoc est septimo quoque die, quem religiose colebant, sed jejunii diebus nudis pedibus incederent, id accepit Juvenalis perinde ac si Sabbathis id ipsum observarent. Eadem ratione, qua errorem alium à veteribus commissum scimus, qui Sabbathum jejunio celebrari à Judæis volunt. Hanc communem quondam opinionem fuisse, non inepte quis

Buxt. Syn.
Iud. cap.
30.